C.J. 1635

VOTA ET MOTIVA A PROCESSV IN CVRIA DOMINI IVSTITIÆ ARAGONVM, ET SCRIBANIA MARTINI THOMÆ de Lanuza Scribæ principalis eiusdem habito, & actitato, Intitulato Processus Didaci de Peñalossa, in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, super executione bonorum.

IN Processu, & causa in Curia Domini Iustitiæ Aragonum, habito, & actitato, intitulato Processus Didaci de Peñalossa, in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, super executione bonorum. Interuenientibus in Camera Consilij eiusdem Curiæ Illustribus Dominis Hieronymo Garcia de Benabarre, & Prat, Hieronymo Torrero, & Embun; Didaco Canales, Ioanne Chrisostomo de Exea, & Hieronymo Caluo, Locumtenentibus Illustrissimi Domini Don Augustini de Villanueua & Diez militis, Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum. Existenteque dicto, & præintitulato processu in deliberatione, super sententia diffinitiua in eodem ferenda, respectu declarationis, an esset procedendum ad vlteriora in dicta executione, vel ne. Tàm dictus Illustris Dominus Didacus Canales causæ Relator, quàm cæteri Domini Locumtenentes concordes fuerunt voti, & opinionis, quod tenetur & debet pronuntiare, & declarare non fore, nec esse procedendum ad vlteriora in præsenti processu, & causa, respectu iurium Hieronymi Antonij de Latorre principalis Francisci Berbegal, & Gasparis Siesso de Sancho Procuratorum, non obstantibus in contrarium allegatis, & supplicatis, quæ locum non habent. EX EO præsertim, & aliàs, declaratur procedendum non fore ad vlteriora in præsenti processu, respectu iurium Hieronymi Antonij Latorre, quoniam ex deductis, & probatis in eo satis apertè constat, Illustrissimam Iunctam (à qua ius, & causam habet dictus Hieronymus Latorre) mediante quodam instrumento contracartæ confessam fuisse instrumentum Comandæ centum mille solidorum Iaccensium concessum in eius fauorem per Ioannem de Arcas dominum bonorum executatorum esse factum pro securitate officij Subcollectoris, in quo nominatus erat dictus Ioannes de Arcas per dictam Illustrissimam Iunctam, & similiter promi-

 sisse

ſiſſe in eo, non ſe iubare de prædicta obligatione Comandæ, niſi pro illa quantitate, ſeu quantitatibus, quibus perſonæ dictæ Illuſtriſſimæ Iunctę, quæ tunc erant, & pro tempore fuiſſent declaraſſent debere Ioannem de Arcas, ex rationibus adminiſtrationis dicti officij, cum hoc tamen, quod in dicta declaratione concurreret vnus ex vnoquoque Brachio ambarum partium Dipputatorum, & perſonarum nominatarum. Cum ergo in declaratione facta per perſonas nominatas ex inſtrumento exhibito per dictum Latorre, non conſtet concurriſſe perſonas cum illis qualitatibus requiſitis, in dicto inſtrumento contracartæ, prout neceſſum erat, nec præſumatur ſequitur, quod non poſſit ſe iubare de dicta declaratione, nec ſe includere cum ea. Ex alijs etiam cenſetur, quod dicta declaratio, non fuit legitimè facta, quia cum fuerit facta propter debitum reſultans ex adminiſtratione dicti officij Collectoris, neceſſarium erat, conſtaret, quod Illuſtriſſimam Iunctam viſis prius, & examinatis rationibus adminiſtrationis Ioannis de Arcas, illam feciſſe, quod non ſolum de hoc non conſtat, immò apparet abſque aliquo examine, & computo cocfeciſſe, tàm ex eo, quia in dicta declaratione nullum verbum, de examinatione rationum reperitur, quam ex quo, quantitas in ea expreſſa non eſt conformis quantitati poſitæ in venditione poſtea facta per Illuſtriſſimam Iunctam, in fauorem dicti Latorre; ſed immô hæc minor eſt, cum illa ſit, totius quantitatis Comandę, hęc tantum quatuor mille ſexcentarum, & quinquaginta librarum, & decem, & octo ſolidorum Iaccenſium. Neque ſimiliter conformis erat quantitati antea poſitæ in libro computorum Regni, anni milleſimi ſexconteſimi trigeſimi primi, ſcilicet quatuor mille tercentarum quinquaginta, & trium librarum, & decem ſolidorum Iaccenſium, quam Computatores illius anni declararunt debere Ioannem de Arcas. Atque ita cum quantitas dictæ declarationis diuerſa ſit, & maior immò tota, & integra quantitas Comandę quam earum, quę continentur in libro nigro compotorum Regni, atque in venditione facta rectè infertur, quod abſque vlla viſura, & examine rationum declararunt Ioannem de Arcas, reſtaſe debitorem in illa quantitate. Neque huic conſiderationi vllo modo obſtat, quod ſecundum tenorem contracartæ nullus poteſt haberi recurſus contra hanc declarationem, ex quacumque cauſa, & ratione etiam nullitatis, & quod non fuerit citatus, nec auditus. Quia reſpondetur, quod præterquam non conſtat, nec apparet de conſenſu Ioannis de Arcas, & approbatione illius, quod neceſſarium erat, cum in eius præiuditium appoſita ſit, ſolum ibi denegatur recurſus, & loquitur dicta clauſula, caſu quo à dicta declaratione appellaretur, vel alio modo recurreretur, ad aliquod Tribunale, non tamen quando ad excluſionem actionis propoſitæ excipiendo opponeretur de tali defectu, qui eſt diuerſus caſus, & non comprehenſus in dicta clauſula. INSVPER ex alio etiam capite apparet procedendum non eſſe ad vlteriora, reſpectu dicti juris, ſcilicet, quia vt reſultat ex duabus partitis

tis

tis ſcriptis in libro nigro compotorum Regni, anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi ſecundi,quantitas dictæ Comandæ iam fuit ſoluta per Ioannem de Arcas , & ſic extinctum fuiſſe illud debitum , ſiquidem in dicto libro reperiuntur duæ partitæ , vna folio quinto, vbi Didacus Sanz de Villanueua Arrendator, & Adminiſtrator Generalitatum Regni fatetur, & dicit, quod die decimo menſis Decembris recepit à Michaele de Latorre , quatuor mille ſexcentas , & quinquaginta libras decem,& octo ſolidos , & decem denarios Iaccenſes pro illis quæ debebat Ioannes de Arcas Regno excomputis ratione ſuæ adminiſtrationis. Et poſtea folio ſeptuageſimo quarto reperitur alia, in qua fatetur ipſemet Arrendator, quod in pecunia numerata, ſoluit ei Ioannes de Arcas , & pro eo Michael de Latorre propter eandem cauſam quatuor mille ſexcentas,& quinquaginta libras decem,& octo ſolidos , & decem denarios Iaccenſes , quibus partitis tranſacta fuerunt poſtea compota per Computatores Regni, vt apparet per inſtrumentum diffinimenti exhibitum. Ex quibus colligitur , quod prædicta quantitas fuit ſoluta, & conſequenter,quod Regno nihil debetur, & quod ad inſtantiam illius, neque habentis ius,& cauſam ab eo non poteſt mandare procedi ad vlteriora in præſenti cauſa. Neque obſtat, quod pro parte Hieronymi Latorre obijcitur,ſcilicet,quod dicta confeſſio Arrendatoris, non poteſt ei nocere, cum tempore quo facta fuit; conſtat illud creditum fuiſſe iam ceſſum per Illuſtriſſimam Iunctam, & ſic non rectè ſolutam fuiſſe eidem,ſeu eius Procuratori.Quia reſpondetur, quod ex quo non fuit notificatum debitori , nec conſtat de ſcientia illius rectè potuit ſolui cedenti. Neque etiam refragatur, quod ex quo,vno, & eodem die fatetur Arrendator mediantè quoddam inſtrumento appoccæ ſe recepiſſe ab Illuſtriſsima Iuncta quantitatem quatuor mille ſexcentarum quinquaginta librarum , decem & octo ſolidorum,& decem denariorum Iaccenſium,pro prætio prædictæ venditionis , & ſimul recepiſſe à Ioanne de Arcas , per manus Michaelis de Latorre ſimilem quantitatem ; ex cauſa rationum ſuæ adminiſtrationis cenſetur vna , & eadem quantitas , & conſequenter per errorem fuiſſe ſcriptam in dicto libro nigro. Quia reſpondetur, quod præterquam error nunquam præſumitur niſi probetur , in hoc caſu ex ſpeciali ratione , minus præſumendum eſt , cum diuerſę ſint cauſæ, & perſonæ pro quibus,& à quibus recipiuntur dictæ quantitates,præſertim cum eſſet præſumere contracartam ſecundum quam iudicare debemus, & aliàs attent. content.

SIG † NVM mei Ioannis Martini de Mezquita Ciuis Ciuitatis Cæſarauguſtæ,Notarij publici,ac Secretarij principalis Conſilij Curiæ Domini Iuſtitiæ Aragonum,qui huiuſmodi vota , & motiua, à libro motiuarum dicti Conſilij de anno præſenti milleſimo ſexcenteſimo , trigeſimo quinto ,vbi continuata exiſtunt fideliter ſumpta, & collationata, extraxi ,& in fidem præmiſſorum ſignaui.